

De universalibus seu predicabilibus. 63

pertinet ad quartum prædicabile, sed ad quintum, quia revera nihil aliud est quam accidens aliquod, quod potest subjecto adesse & ab eo abesse, e. g. *medicum respectu hominis.*

91. Proprium secundi modi juxta Porphyr. est, quod accidit toti speciei, sed non soli, e. g. *bipedem esse*, hoc enim competit toti speciei humanæ, sed non soli, cum etiam avibus competat. Observa autem h. l. bipedem sumi pro aptitudine ad habendos duos pedes, sic enim competit toti speciei omnibusque ejus individuis, non tamen si sumitur pro actu: *Tatar.*

92. Nota hic Javellus *Log. Traët. 4. c. 3.* quod studio dicatur, *accidit*, non verò *competit*; Si enim definiretur proprium secundi modi, quod *competat* toti speciei, sed non soli, definitio seu descriptio hæc competeret etiam generi, genus enim etiam est id, quod toti competit speciei, sed non soli, e. g. *animal* toti speciei hominis competit, sed non soli.

93. Not. h. l. ex Aristotele *lib. 1. Topic. c. 5. §. 7.* aliquid posse proprium appellari dupliciter. 1. *ἀπλῶς simpliciter*, quod rei alicui non est commune cum aliis, sed soli alicui competit; sicut v. g. potentia ridendi se habet in ordine ad hominem, h. m. id, quod secundo modo proprium dicitur, non est proprium, quia